

**ACTA SANCTORUM IULII TOMUS
SECUNDUS, QUARTA DIES.
DE SANCTA ELISABETHA, LUSITANIÆ
REGINA, VIDUA, TERTII ORDINIS S.
FRANCISCI. Conimbricæ in eadem
Lusitania.**

**RELATIO FACTA IN CONSISTORIO
SECRETO CORAM S. D. N. URBANO
PAPA VIII. A FRANCISCO MARIA
EPISCOPO OSTIENSI S. R. E. CARD. A
MONTE, DIE XIII JANUARIII MDCXXV.**

**Super vita, Sanctitate, actis
Canonizationis, & miraculis piæ
memoriæ beatæ Elisabethæ, Lusitanicæ
Reginæ.**

EX MSS.

INDUCTIO RELATIONIS.

Sanctitatem in regno, quasi gemmam in auro Beatissime Pater, sapientes rerum æstimatores jure suspiciunt; qui probe norunt, & societatem ejusmodi tam præclaram esse, quam raram. Ut enim Veritatis æternæ vox est, quovis certior oraculo; difficilis atque angustus est aditus in cælum iis, qui nimis late possident terram. Quod si ad fastum & pompam Regiæ Majestatis, feminei sexus accedat natura, plus nimio proclivis in vanum formæ studium, & levem pulchritudinis ambitionem; vix ullus

relinquetur sanctimoniacæ locus. Atque adeo si quæ sit femina, regio splendore conspicua, quæ fulgeat etiam claritate virtutum; appellari merito potest, cæleste prodigium. E cælo quippe detur, necesse est, quod tam difficile reperitur in terris. Neque alius quisquam sanctitatem Regibus, quasi novam coronam imponere, aut debet aut potest; nisi Rex ille Regum, in cujus manu cor Regis est, & per quem Reges regnant. Hic inter alias feminas, nobiliores virtute, quam genere; in quibus dare spectaculum voluit mundo patientiæ suæ, Beatam Elisabetham, Lusitaniæ Reginam, elegit: ut humanum genus doceret exemplo suo, posse unum caput corona duplici nobilitari; altera majestatis in tertis, altera sanctitatis in cælo. Quod geminum decus in Elisabetha statim agnoscet, qui res ab ea, tota vita præclare sancteque gestas, voluerit intueri.

[2] Hæc sane Regina adstitit, si minus a dextris, saltem ante conspectum Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate. Quid enim aliud fuit ejus ætas universa cum summa morum integritate atque innocentiae laude transacta; quam aurata quædam vestis, quæ non solum oculos animosque mortalium in sui contemplationem admirationemque rapiebat; sed ipsos etiam cæli cives, ipsum rerum omnium parentem ac moderatorem Deum, ad tam singulare spectaculum invitabat? Quid tam multæ, tam variæ, tamque insignes animi dotes atque virtutes, quibus anima illa purissima fuit a teneris exornata; quid, inquam, erant aliud nisi gemmæ pellucidæ, pretiosique lapilli, quorum varietate circumdata, cælesti Regi pulcherrimum sui specimen dedit? His illa conspicuis cælo terræque prænitens ornamentis, non Lusitaniæ modo, in qua tanta cum sanctimoniacæ laude regnavit; non Hispaniæ; cujus e nobilissima provincia Aragoniæ felicem nacta est hujus lucis usuram; sed Christiano cuilibet regno proposita fuit a supremo rerum Principe Deo, tamquam numeris absolutum omnibus Regum exemplar. Ab illa

discent, qui scepra moderantur; quanto plus religioni tribuendum sit ac Deo, quam privatis aut publicis utilitatibus; quanto comparanda sit studio, Principes inter, pax atque concordia; quam pie gubernanda sit etiam Regia familia; quanta exhibenda sit egentibus liberalitas; quam humaniter ac benigne populi complectendi. Nulla denique laus regalis ac virtus in hac Principum Christianorum idea desideratur.

[3] Unum tantum desiderari videtur, non tam ad hujus absolutionem imaginis, quæ divinæ dexteræ ductibus, variis virtutum coloribus jam olim fuit expressa; sed ad religiosissimam Catholici Regis petitionem, ad commune totius Lusitanicæ votum, ad publicam principum utilitatem, ad Christiani nominis gloriam ac splendorem: ut ipse, Beatissime Pater, qui Dei vices apud homines geris, & hominum causas agis apud Deum; beatam hanc Reginam in Sanctorum numerum, usitatis Ecclesiæ cæremoniis, referre non dubites. Quem ad finem de vita, sanctitate & miraculis hujus beatæ Reginæ, juxta sacros canones, inquiri, pro sua benignitate jussit Sanctitas Vestra. Quapropter fabricatis de more necessariis processibus, illisque per deputatos idoneos viros mature discussis; in eo statu versari nunc hujusmodi causa censetur, ut legitime instructa videatur. Jussu igitur Sanctitatis Vestræ coram amplissimo sacro Senatu statum illius brevissime relaturus, ordine tripartito sic illum exponam.

[4] Primo loco beatæ Reginæ vitam integerrimam, ac mortem sanctissimam explicabo.

Secundo, præclaras illius virtutes.

Tertio, insignia per eam, tam viventem, quam mortuam, patrata miracula; & res in causa gestas.

Quæ tria si satis Vestræ Sanctitati probata fuerint; postremum caput recensendum decreverit; reliquum erit, rogatis de more singulorum Reverendissimorum Dominorum meorum sententiis; quid pro Dei gloria, & Catholicæ Fidei exaltatione magis expediat, deliberare ac statuere.

RELATIONIS PARS PRIMA. DE VITA REGINÆ.

[Genus Elisabethæ,] Regium genus ab utroque parente traxit Elisabetha. Pater ei fuit Rex Aragoniæ Petrus, Jacobo Rege natus, & Violantia, Regis Hungariæ filia. Mater Constantia, Manfredi Siciliæ Regis filia, Frederici Secundi Imperatoris neptis. Nata est Elisabetha anno a Virginis partu MCCLXXI. Prodiit autem ex utero genitricis, iis (præter morem) undique involuta membranis, quas secundas appellant; quod fortasse prodigium cælitus datum fuit, quasi futuræ modestiæ verecundiæque præsagium. Recens a partu, ad Regem Jacobum avum allata, atque ab eodem ad sextum ætatis annum Christianis moribus imbuta fuit: de qua ille prædicare, ac pene prædicere solitus erat: neptem illam, atque alumnam suam, feminarum omnium optimam clarissimamque futuram, quæ ex Aragoniorum Regum stirpe natæ umquam fuissent. Ex humanis erepto Jacobo Rege, [educatio,] sexennis puella reducitur in patris domum. Ibi, quam ab avo didicerat, prosecuta est integerrimæ vitæ rationem. Pueriles ludos, ornatum corporis, voluptatum delicias fugiebat. Divinis precibus, ciborum abstinentiæ, caritatis operibus impense vacabat: ut Pater ipse fuerit solitus affirmare, suarum rerum, ac regni felicitatem Elisabethæ virtutibus ac meritis apud Deum, acceptam esse referendam. Ubi vero plenis jam annis nubilis fuit, ob egregiam tantæ virtutis famam late vagantem, a pluribus Christianorum Principum filiis per crebras legationes ac litteras postulata in matrimonium est. [nuptiæ,] Vicit unus ex omnibus Lusitaniæ Rex

Dionysius, Alphonsi Tertii filius; cui regiis & christianis ritibus nupsit Elisabetha anno partæ salutis MCCLXXXII. Ejus discessum ægerrime tulit Parens, cum diceret lacrymabundus; abstrahi a se rem omnium charissimam & pretiosissimam.

[6] [studium pietatis in Deum] Nuptiis maximo cum apparatu, & qua Reges decebat, pompa, celebratis; Elisabetha ætatis anno decimo septimo Constantiam peperit: vicesimo vero, regni heredem Alfonsum. Interim illa non minorem excolendis virtutibus, quam liberis educandis, dabat operam; viro placere studens, sed magis Deo. In sacris precibus assidua, frequens ad rem divinam erat; ubicumque versaretur, sacellum habebat religiose ac magnifice ornatum, sacerdotibus, symphoniacis, aliisque sacris ministris instructum. [& maritum, alioquin ei injurium;] Ibi ejus erat requies; ibi fere semper habitabat. Humanitatis vero, mansuetudinis, ac providentiæ laude omnium sibi animos demerebatur. Cum vero Dionysius Rex annos aliquot cum illa conjuncte integreque vixisset; vel ætatis flexu, vel flagitiosorum consiliis, & quibusdam quasi voluptatis injustæ præstigiis fascinatus; animum ac voluntatem ab ea cœpit avertere, nullo ipsius merito: atque ad alias amorem transtulit mulierculas, a quibus singulis singulos liberos, septem nempe, suscepit. Hæc ab aliis aliisque nunciis accipiens Elisabetha, tam palmarem injuriam, tam patienter ac moderate tulit, ut admirationi omnibus esset, imo pueros ipsos, aliunde Regi natos, educavit pro suis, & diligenter ad omnem laudem institui curavit. Quibus excelsissimæ ac Deo plenæ mentis indiciis victus, ac mutatus in meliorem frugem Dionysius, reliquum tempus cum uxore caste sancteque traduxit.

[7] Interea componendis Principum, aliqua sibi affinitate junctorum, [amor pacis conciliandæ] dissensionibus, ut multum operæ posuit Elisabetha, ita plurimum gloriæ

reportavit. Ac primo quidem ortum inter Dionysium Regem, & ejus fratrem Alfonsum, grave dissidium, vel potius apertum bellum, copiis utrimque coactis, & universa ferme Lusitania pro diversis partibus armata; sedavit ac diremit amantissima pacis Regina, fuis ad Deum precibus, ac votis assiduis; adhibitis Antistitibus ac principibus viris; suis postremo ad utrumque adhortationibus, atque obsecrationibus sæpius interpositis. Deinde vero non minore desudavit industria, ut cessarent mota jam arma ab Rege Dionysio in Ferdinandum puerum, Castellæ Regem, ejusque tutores. Tum gravissimæ aliorum Principum affinium dissensiones pacatæ, quæ ruinam universæ Hispaniæ secum trahere videbantur: sed nulla gloriosior, ac magis necessaria conciliata pax ab Elisabetha, quam cum Dionysius parens, & filius Alfonsus, plusquam civilia inter se bella suscepissent.

[8] Iratus enim Dionysius ob arrogantiam filii, [inter dissidentes;] qui stipatus facinorosis hominibus, patris auctoritatem atque imperia contemnebat, atque ipsum regno dejicere velle videbatur; eum opprimere statuit ex improvise. Ad omnes vias posuit custodes, ne quis ad Alfonsum periculi nuncius perveniret: tum armari milites jussit, & expeditos proficisci secum contra filium; ut justum de illo, sed acerbum supplicium sumeret. At Elisabetha, rei facta certior, multos diversis itineribus nuncios clam dimisit, qui significarent filio, summum, in quo erat, discrimen; monerentque, ut iram patris effugeret. Ipsa interim Sacris pluribus, ob eam rem fieri jussis, precibus & lacrymis exposcebat a Deo, ut tantum a viro, a filio, a regno malum averteret. Ejus itaque diligentia ac pietate factum est; ut saluti suæ consulens filius, ex eo loco digrederetur, ubi opprimendus erat a patre. Ad matrem vero se conferens, pro tanto beneficio maximas egit gratias. Illa verbis, monitis, precibus contumacem Alfonsi animum infringere aggressa est: sed

frustra; nam his nihilo melior factus, aut sedatior, sceleratum parare cœpit in patrem bellum. Pater, & facinoris indignitate commotus, & stimulatus ab aliis, omnem quærebat viam ad impietatem filii vindicandam. Exulcerabant hæc animum Elisabethæ; quæ summopere cupiebat, ac postulabat a Deo mitiorem viro mentem, filio saniozem.

[9] [exsilium.] Non tamen defuere, qui eam apud Dionysium nimicæ caritatis in filium, & indulgentiæ muliebris accusarent: atque adeo segregandam illam dicerent, & adeptis castellis, in liberam custodiam tradendam, ne qua filium ope juvaret. Assentitur iis Dionysius; amandat Elisabetham; bonis fere omnibus ereptis, vetat egredi statuto loco. Ne verbum quidem illa contra viri acerbum imperium dixit: statimque paruit; & reclamantibus aliis, moderata est. Interea Alfonsus expugnandis, atque in suam potestatem redigendis urbibus; Dionysius iis, quæ a sua potestate defecissent, diruendis atque evertendis; uterque in Lusitania misere devastanda, opes omnes operamque ponebant. Quo tempore beata Regina religiosissimis quibusque feminis, undique ad se convocatis, cum iis tota erat in jejuniis, precibus, lacrymis, aliisque piis operibus, ad exorandum Deum, ut impendentem ruinam cælesti aliqua ope submoveret. Ubi vero audivit, [Maritum & filium ei rebellem] bellum vehementibus utrimque odiis inflammari magis in dies, neque extingui posse quodammodo, nisi vel viri vel filii sanguine, civium strage, civitatum excidio; continere se non potuit, quin sua salute, suorum incolumitati posthabita, e custodia convolaret ad castra; virum obsecraret, filium obtestaretur, cum utroque per Principes viros ageret, lapidem omnem moveret, ut patris in gratiam filius reconciliaretur. Concessum tandem est magis divino munere, quam humano, quod Elisabethæ pia sedulitas merebatur, sed non diuturna fuit illa concordia.

[10] [pacificat cum vitæ suæ periculo.] Cum enim contra voluntatem patris, Alfonsus ad urbem Scalabi (vulgo Sanctarenum) accedere instructo agmine conaretur, obviam illi cum exercitu processit Dionysius Ergo armatas acies contra filium pater direxerat: datum utrimque fuerat belli signum: concurrebant ex utraque parte cognatis armis milites: ventum erat ad manus: cum Elizabetha tam novæ indignitatis admonita, sine famularum comitatu, sine cultu, raptim accurrit: interponit se inter virum & filium; non a telis ultro citroque jactis deterrita, non a suæ vitæ periculo retardata; filium adhortationibus morigerum patri, virum obsecrationibus placatum filio reddit: utrique vitam, utrique salutem restituit, propemodum desperatam.

[11] [Filiæ demortuæ animum] Filiam habuit, ut initio dictum est, Elisabetha Constantiam. Hanc ut solarentur ob mortem viri Ferdinandi, Castellæ Regis, adiit cum uxore Dionysius. Secuta Reginam est Urraca Vaschia, ejus familiaris; quæ cum subitis, acerrimisque doloribus cruciaretur, Elisabetham rogavit, ut illius mali cessationem fuis precibus impetratet a Deo. Oravit: impetravit. Cum vero, Constantia e vivis erepta, Regina Olyssiponem iret cum Dionysio; ab ignoto quodam Anachoreta monita est, ut pro filia, [sacrificiis & precibus expiat,] quæ purgante igne torquebatur, unius anni spatio quotidie sacrum fieri per integrum castumque sacerdotem curaret. Id enim se in somnis ab ipsa Constantia cognovisse, dicebat. Fabula videbatur aliis. At Regina, de viri consilio, filiæ voluntati morem gessit: quæ exacto jam anno videndam se per quietem præbuit matri, e cruciatibus in æternam felicitatem transeuntem.

[12] Jam vero Dionysius, ætate gravis, & imbecilla valetudine affectus, [Mariti mors & mutatio habitus.] in morbum incidit. In quo vel maxime nituit conjugalibus Elisabethæ caritas, assiduitas, diligentia: non uxorem

præstabat se, sed ancillam: adeo in rebus omnibus demisse assidueque ministrabat. Igitur annum agens ille sexagesimum quartum, omnibus rite peractis, quæ vel Christianum hominem, vel prudentem Regem decebant, excessit e vivis anno a Christo nato MCCCXXV, mense Januario; cum sex & quadraginta regnasset annos. Ex hoc obitu, sui jam facta juris Elisabetha, annum agens quartum supra quinquagesimum, statim atque vir mortuus est, in cubiculum se recepit cum una e carioribus ancillis: ibique ab ea suscepit, cum eximio animi sensu, vestem, aliquot annis ante, præparatam, religiosarum Virginum propriam: tum rudi funiculo præcincta, candido linteo caput velavit: hoc habitu processit in publicum ante viri cadaver. Prosecuta deinde est solenne funus cum pari laude conjugalis amoris, & plusquam femineæ fortitudinis, ad vicum usque Odivellas prope Olyssiponem, in templum Cisterciensium Virginum, S. Dionysio dicatum, atque ab Rege Dionysio ædificatum; ubi Regis ejusdem corpus, ex ipsius testamento, cum præclaro funeris apparatu sepultum est.

[13] Ex eo tempore beata Regina pro mariti anima suas preces, lacrymas, jejunia, pœnas alias, [Peregrinatio Compostellana,] sponte susceptas, offerens, aliorum obsecrationes & sacrificia frequenter assidueque jussit offerri. Quin etiam ad Compostellanum S. Jacobi templum, æstate Regis obitum consequente, se contulit; illudque procul aspiciens, descendit in terram, ac pedibus itineris reliquum confecit. Obtulit ad eamdem diem pretiosissima munera; coronam gravi pondere, multis, & magnis gemmis illuminatam; vestes pennis pulcherrimis, margaritis, & lapillis lucentibus distinctas; undulata peripetasmata, acu picta; pocula ex argento prægrandia; mulam, aureo, argenteo, gemmeo instrumento præclaram; pontificalem denique sacrorum ornatum, numeris omnibus absolutum. Ingentes vero pecunias, partim in templi sumptus obtulit, partim egentibus divisit.

Peractis omnibus religionis officiis, Compostellanus Archiepiscopus proficiscenti scipionem dedit & peram; piæ peregrinationis insignia, ipsi longe carissima. Sub anni finem ad anniversarias Dionysii exequias, ejus adivit sepulcrum cum Alfonso filio, ubi magna sacerdotum & monachorum frequentia, justa funebria Regi magnifice instaurata sunt.

[14] His rite peractis, Regina domesticas omnes opes, vel in sacros usus convertit, vel aliis dispensavit. [Conversatio cum monialibus S. Claræ.] Ipsa solitudini, jejuniis, precationibus vacare impensius cœpit. Sacrarum Virginum domum prope Conimbricam, S. Claræ nomine ædificandam summo studio curavit: ædes etiam sibi aliquas secus eum locum poni voluit; ut facilior & brevior esset ad Parthenonem trajetio; cujus pro voluntate ingrediendi, ac famularum Christi dulcissima consuetudine fruendi, potestatem a Summo Pontifice impetrarat. Publicas, & privatas identidem ad eas adhortationes habebat. Ex illo numero & S. Claræ familia, quinque apud se feminas, integritate conspicuas, habebat assidue, cum quibus religiosam extra claustra degebat vitam. Quamquam enim Deo se consecrare inter sacras Virgines habuerat in animo; a prudentibus tamen æstimatoribus rerum, datum ei potius consilium fuit, ut ad majorem omnium utilitatem, publicam illam personam ac dignitatem retineret. Omnibus igitur una præsto erat opibus, consilio, auctoritate, quacumque alia re juvare poterat. [Ædificatio gerotrophii.] In ædiculis prope memoratum Parthenonem, quindecim egentes viros, ac totidem feminas sibi vicinas, ali perpetuo certis sumptibus jussit: Sacerdotemque proximum cum sacello, & cœmeterio constituit, qui sacrum iis præsentibus quotidie faceret, & solennes omnium horarum precationes concineret. Interea Castellæ Regem Alfonsum, nepotem suum, audiens alterius ab uxore feminæ consuetudine teneri; eum adivit, ac fidem ab illo extorsit, honestius in

posterum vivendi. Plurimum exinde temporis atque operæ impendit in eo divæ Claræ cœnobio perficiendo, amplificando, exornando; in quo suas omnes contineri delicias existimabat. Quo die primum in nova cœnatione Moniales discubuerunt, ministravit eis Regina cum sua nuru Beatrice, Regina, raro christianæ demissionis & caritatis exemplo.

[15] [Munificentia in caritate annonæ] Anno vero MCCCXXXIII, Conimbricæ Regina commorante, ingens annonæ caritas ac fames eam urbem vexavit. Enituit tunc, ut cum maxime, S. Elisabethæ caritas in omne hominum genus; adeoque liberalem se cunctis præbuit, ut ab opum administratoribus admoneretur, ne ob alienorum opitulationem ac sustentationem nimis assiduam, sibi postmodum suisque deesse cogeretur; sed illa, Deo freta, angustos aliorum animos reprehendit. Cum vero jam ad quartum & sexagesimum annum pervenisset; [Iterata peregrinatio ad S. Jacobum.] S. Jacobi templum invisere iterum voluit: quod tamen est maxime mirum, ac minimum credibile videtur; tantum suscepit itineris, femina id ætatis, & Regina, paucis comitata, mutato vestitu ignobilis, imo sua sarcina gravis, per vicos & domos mendicans, pedibus & ivit, & rediit. Sed jam tempus erat, ut e terris, ubi peregrinata diutius illa anima fuerat, remearet in cælum, patriam suam.

[16] [Dum pacem componere cupit,] Ergo, cum ad sedandas Alfonsi filii cum Castellæ Rege nepote discordias, ad oppidum Eborense, Stremotium appellatum, (ubi tunc filius versabatur cum conjugē) se contulisset; partim ætatis imbecillitate, partim itineris defatigatione, in morbum incidit, qui supremus illi fuit: & quamquam filii ac nurus assiduitate, diligentissime curaretur; inanis tamen omnis cura successit. Jam enim illa vocabatur a Deo, Deique Parente; ut illud præmonstrasse videtur, quod paulo ante supremum diem

evenit. Nam præsentibus multis, ac nuru præsertim, nihilque videntibus: Filia, filia, exclamavit, concede quæso, locum illi mulieri. Cui mulieri? Respondit nurus, admirans. Illi, inquit, quæ amictu candido venit ad nos. Jam vero morti se proximam intelligens, divinis mysteriis, ac supremis Ecclesiæ Sacramentis sese sanctissime muniit; ut piæ vitæ religiosa mors optime responderet. [pie moritur.] Postquam autem cum Alfonso necessariis de rebus regni colloquuta aliquantulum esset; a filio, quem relinquebat, ad cælestem conversa Parentem, quam adibat, supremis & solennibus iis vocibus illam compellavit:

Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Deinde Fidem ex Apostolorum symbolo professam; traditam a Domino precationem, aliasque recitavit, voce paulatim ac sensu deficiente: donec animam Auctori suo reddidit; ita composito corporis habitu, ut non tam periisse, quam obdormisse videretur in Domino. In hunc modum beata Regina vitam integerrime traductam sanctissima morte coronavit, quarto Nonas Julii, anno a Christo nato MCCCXXXVI, ab ipsius beatæ Elisabethæ ortu LXV.

RELATIONIS PARS SECUNDA. DE VIRTUTIBUS.

Etsi tota vita sanctorum hominum perpetua quædam est exercitatio virtutum, atque adeo illa cognita, hæ debent esse perspectæ: par est tamen ad eorum clarius agnoscendam sanctitatem, virtutes singulas diligentius contemplari. Quæ igitur in beata Regina præstantis animi dotes præcipuæ floruerunt, per RR. PP. Rotæ Auditores confirmatæ, & per Sacrorum Rituum Congregationem

legitime comprobatae fuerunt, hae potissimum numerantur.

[18] Fides. Quantum hac prima Christianae religionis virtute praestiterit beata Regina, nemini poterit obscurum esse, qui reputaverit animo, eam primo a Christianis & Catholicis Regibus ortam fuisse; qui toties nostram fidem contra perfidos hostes, contra Saracenos & Barbaros fortissime defenderunt. Deinde sacris illam aquis ablutam, & aliis Ecclesiae mysteriis rite munitam, semel susceptam fidem constanti animo ad extremum usque vitae spiritum retinuisse: ac postremo jam ex hac vita migraturam, intermortuis vocibus perfectum illud Fidei compendium ab Apostolis concinnatum, recitasse: quae omnia meruerunt, ut Elisabetha semper ab omnibus habita fuerit sacrosanctae fidei non excultrix modo religiosissima, sed etiam strenuissima propugnatrix.

[19] Enituit etiam hujus Fidei splendor e piis illis operibus, quibus beata Regina tantopere fuit omni tempore vitae constanter addicta. Licet enim Fides, ex Theologorum sententia, in mente & cogitatione praecipue sita sit; ut ea tamen juvet, opus habet operibus, Fidem confirmantibus; sine quibus mortua est, uti Jacobus Apostolus pronunciavit. Qualis igitur, & quam vivida in illa fuisse Fides dicenda est; cujus universa vita bonis operibus consecrata fuit? Integri dies in divino cultu ab ea traducebantur, praesertim post obitum viri. Nam de multa nocte vigilans cum feminis, piorum studiorum sociis, matutinis precibus recitandis vacabat. Diluculo sacrum fieri jubebat in suo cubiculo. Inde in publico sacello cum omni familia intererat alteri sacrificio, quod cum lugubri cantu fiebat pro demortuo Rege ac marito. Tertium denique sacrum, ejus diei proprium, coram se supplice volebat celebrari. Divini officii reliquas Horas postea peragebat. Tum ad juvandos alios, vel re, vel verbis, incumbibat. Inde ad sese colligendam, vel

contemplationi, vel sacri cujuspiam libri lectioni se dabat. Ad seram postremo noctem divinas res mente pertractabat, cum incredibili sensu voluptatis, & dulcium copia lacrymarum. Ut jam tum totos dies non terræ, sed cælo vivere videretur.

[20] Ejusdem Fidei excellentiam tunc beata Elisabetha præ se tulit vel maxime; cum gravissimis vexata calamitatibus, & rerum adversarum jactata tempestatibus; rectum tamen tenuit cursum pietatis in Deum. Et præsertim cum a viro Dionysio Rege, feminis aliis in amore posthabita post conjugium; cum ab eodem relegata in liberam custodiam, periculosissimo tempore; cum tot suorum vidit, & deflevit in universis Hispaniæ regnis dissidia. Quibus omnibus acerbissimis casibus, in ejus vitæ narratione commemoratis, concuti quidem ipsa potuit atque percelli; de recta vero mentis ac fidei statione deturbari non potuit.

[21] Spes. Non alium sibi proponere visa est beata Regina scopum, in quem omnia ipsius vota collinearent; nisi illum, qui non confundit, aut deserit sperantes in se. Hinc factum est, ut in quibuscumque periculis, ac necessitatibus nihil haberet antiquius; quam ad sacras preces, ad pia sacrificia, ad jejunia, ad voluntarias pœnas; uno verbo, ad divinam opem implorandam confugere. Cumque in regio collocata fastigio, rebusque circumfluens omnibus, quibus humana inhiare solet ambitio, in iis spem suam collocare potuisset, ut plerique mortalium faciunt; statuit illa, non in principibus, ac principatibus, non in copia divitiarum, non in amplitudine regni, non in multitudine militum subjectorum; sed in eo solo spem omnem reponere, a quo vitam sperabat sempiternam.

[22] Caritas in Deum. Hæc Regina virtutum, perfectio legis, & vinculum perfectionis non ultimum obtinuit locum in anima, laudum feracissima, beatæ Reginæ. Testatur

hoc universa illius vita, quæ perpetuum amorem præ se ferebat in Deum. Nam & parentes coluerat, & virum diligebat, & filios materna benevolentia complectebatur, ob unius amorem divini numinis, quod ceteris omnibus anteferebat. Ex eadem vi caritatis oriebatur ille fluxarum opum & mortalium rerum contemptus, opinione major. Inde etiam erat odium, quo vitia & impuritates prosequabatur; ut si quando divinam lædi Majestatem animadvertibat; injuriam sibi fieri, se ipsam læsam existimaret. Hujus denique vis amoris dulces ei reddebat acerbissimas pœnas, quas ipsa sibi ultro inferebat: jucunda jejunia, quibus frequenter enutritum in regum deliciis corpus macerabat; nocturnas vigiliis, diurnos labores, longas peregrinationes, non faciles modo, sed etiam apprime suaves.

[23] Verum ille præ ceteris religionis sensus, quo venerabile Sacramentum, ejusque instrumenta, ministros, celebrationem prosequabatur, locupletissime testari potest hanc in Deum eximiam caritatem. Deferre solita erat S. Elisabetha secum, quocumque iret, ad rem divinam faciendam, aptum altare, omnibus rebus instructum atque ornatum; ut ubicumque esset, in suo cubiculo ara pararetur ad sacrum; eoque, ceu domestico sacrario, frequenter uteretur: quasi moræ impatienti ipsius amori in Deum, ac desiderio, fieri non posset satis, nisi in promptu essent, ac prope, quæcumque ad evocandum e cælo sponsum animarum, adhiberi solent. Erga sacerdotes vero tanta erat pietate atque observantia; ut sacrificio præsens, post Apostolorum symbolum decantatum, accederet ad altaris gradus, more majorum; & in genua procumbens, osculansque manus sacerdoti, pecuniam offerret modo majorem, modo minorem, ut diei ratio postulabat. Agnoscebat illa nimirum in quolibet Sacerdote, summi Sacerdotis ac Pontificis Christi personam; eamque demisse venerabatur, diligebat ardenter. Unde etiam oriebatur

sancta illa cupiditas rei divinæ, qua impellente, Elisabetha singulis diebus ternis intererat sacris.

[24] Caritas in Proximum. Amoris in Deum legitimus partus est Amor in proximum: recteque unum internoscitur ex alio; velut ex imagine filii plerumque cognoscitur parens. Hujusmodi vero virtute quantum S. Elisabetha floruerit, nimium esset exemplis omnibus confirmare. Hujus enim exhibuit specimen singulare; cum vitam ac salutem suam in dicrimen adduxit, ut virum cum filio pugnantem, eidem pacatum redderet; atque utriusque vitam, & ex ea suspensam Lusitani regni salutem ac tranquillitatem tueretur. Hanc ostendit illa, in Conimbricensi penuria ac fame liberalitas, in omne genus hominum effusissima. Eamdem virtutem declarat celeberrimum illud S. Claræ cœnobium, sacris virginibus ab ea jussu exædificari tanta cum diligentia atque assiduitate, tot redditibus dotatum, tot nobilium feminarum frequentia nobilitatum, illius præsentia toties illustratum; ut ibi jam tum situm cor suum habere videretur, quemadmodum ibidem poni post obitum voluit corpus suum.

[25] Almosteriense quoque monasterium prope Scalabin, seu Sanctarem, a Berengaria, nobili femina inchoatum, Elisabetha perfecit. Aliam domum, ubi partus, a parentibus expositi, educarentur; quam Martinus, Episcopus Guardiense, morte occupatus, absolvere non potuit; non modo absolvit beata regina, sed redditibus etiam, & excipiendorum numero puerorum amplificavit. Xenodochium e regione suæ domus, prope Conimbricam erexit; ubi triginta pauperes, non solum certis attributis sumptibus alebat ac vestiebat; sed etiam sua identidem præsentia, allocutione, ministrandi quoque officio solabatur. His illa deliciis, his amœnitatibus proxime fruebatur. Non exiguum frumenti numerum dabat religiosis familiis; quæ in quibuslibet Lusitanicæ partibus

versabantur. Cœnobiis monachorum, quacumque iter faceret, certam pecuniæ summam quotannis assignabat in vestem. Nullus inopum occurrebat, in quem non stipem illa benignissime conferret, atque ex infinita multitudine, qua se videbat assidue circumfusam, vacuum abire neminem patiebatur. Quos intelligebat præ pudore stipem cogere non audere, quamvis id suaderet necessitas, non solum sublevabat pecunia, sed etiam alebat. Denique communis omnium parens, & patrona censebatur. Hæc autem omnia, quæ memorata sunt e multis pauca, quam aliam habuerunt originem, nisi perennem illam, ac liberalem in proximos caritatem?

[26] Prudentia, Justitia, Fortitudo Temperntia. Proximum ab iis virtutibus, quæ Deum spectant, locum obtinent illæ, quæ morales inter præcipuæ, Cardinales dicuntur. Earum etiam ornatu splendido cumulare Deus voluit S. Elisabetham, quæ mundum omnem muliebrem, & exquisitum corporis cultum, animo supra muliebrem conditionem erecto, negligebat.

[27] Prudentiam igitur præ se beata Regina tulit eximiam; quoties gravissimis inter Principes viros dissensionibus, una ipsa femina interveniens, modum ac finem imponere, & optavit & scivit. Ardentia, non tota modo Lusitania, sed per universam Hispaniam, bella prope civilia non semel Elisabetha restinxit, ac lites de potestate atque ambitione difficillimas, quas Reges ferro decidere, ac multorum hominum sanguine terminare decreverant; ipsa potuit imbellis, sui sagacitate consilii, suis ad Principes allocutionibus sedare. In rebus vero domesticis disponendis, in suæ ditionis administratione, mirum, quantam reportavit ab omnibus prudentiæ laudem; quam a sapientissimis majoribus hereditario jure susceptam, ingenii sui solertia propagavit, auxit industria.

[28] **Justitia vero tantum Elisabethæ cordi fuit: ut quæ semper erat clementissima, atque in juvandis miseris vere mater; in puniendis tamen sontibus, hoc est in protegenda justitia, virilem quemdam rigorem nacta videretur. Illud etiam proprium justitiæ munus exequebatur; unicuique tribuendi jus suum. Deferebat enim illa pietatis obsequium Deo, caritatis affectum viro, humanitatis officia reliquis omnibus: ut quæ justitiam, tamquam Regina, exactura esset ab aliis; justitiæ specimen præberet in se, tamquam æterno Regi subjecta.**

[29] **Fortitudinis declarandæ tot habuit argumenta beata Regina; quot illi Deus obtulit Patientiæ tentamenta: quo enim animo, & quam forti pectore tulerit juvenis viri in conjugali fide, atque amore inconstantiam; filii patri rebellis, imo bellantis in patrem, arrogantiam, sibi totique regno funestissimam; jacturam carissimorum sibi capitem; & alia multa, quæ illi adversa atque aspera contigerunt; satis esse potuit exploratum ex iis, quæ superius narrata sunt.**

[30] **Temperantiam postremo diligentissime semper coluit Elisabetha, cum omnium admiratione: nam in cibo potuque non modo moderata; sed etiam parca; non tam abjecit a se supervacanea, quam necessaria subtraxit. Quadruplex illa jejunium ab adolescentia solemne habuit; quadragenarium & commune Christianorum omnium; id, quo præparari solent homines religiosi ad Christi adventum, & quod Angelorum appellant a die festo B. Virginis Assumptæ ad Archangeli Michaëlis diem; ac postremo a feriis S. Joannis Baptistæ, ad diem assumptæ Virgini sacrum. A vino consueverat abstinere. In reliquis vero corporis voluptatibus adeo sibi temperavit, ut non e nostræ mortalitatis origine nata, sed e beatarum choris mentium, ad mortales transmissa potuerit existimari.**

[31] **Aliæ quædam Virtutes. Quæ basis aliarum virtutum & fundamentum appellari solent animi demissio & christiana humilitas, tanto fuit in beata Regina admirabilior, quanto videbatur ab ejus conditione remotior. Raro siquidem infra alios abjiciunt sese, quos supra ceteros evehit fastigium dignitatis. Et tamen Elisabetha plerumque non Reginam se præstitit, sed ancillam: quamquam eo magis tum dici Regina meruit, quod strenue regeret surgentes cum Regia majestate, superbicæ motus. Ministravit illa, ut dictum est, religiosis S. Claræ Virginibus; famulata sæpius est ægrotis pauperibus. Verum una præ omnibus humilis animi significatio admirationem pariat maximam necesse est. Sextis omnibus feriis quadragenarii jejunii tredecim pauperes elephantiasi seu lepra contaminatos, in suas ædes occulte duci jubebat; ibi lavabat eis pedes ac stipem tribuebat. Feria vero quinta sanctioris hebdomadæ, mulieribus aliquot, eodem assectis morbo, pedes abluebat, abstergebat linteo, osculabatur; postremo novam vestem & calceos præbebat: ut ambigi posset, an esset in illa caritas altior, an profundior humilitas.**

[32] **Ceteras ejus virtutes enarrare, longum esset. Floruit enim illa, mansuetudine quadam insigni, qua sibi omnium animos facile demerebatur; Fide in virum, conjugiumque constanti, neque ullis ejus injuriis, aut aliorum delationibus labefactata; Pietate ac Religione, quæ, ut paulo ante dictum est, integros in ejus vita sibi dies vindicaret; Perseverantia demum in piis ac justis rebus, quæ veluti virtutum reliquarum corona, regium illius caput in cæli regia circumplexa est.**

[33] **Fama et existimatio sanctitatis. Ab ipso statim exortu S. Elisabetha specimen præbuisse visa est sanctitatis, cum secundinis illis (ut appellant) prodiit involuta; quas quidem parens Constantia (quasi jam tum prospiceret in**

puella sanctum quid, ac divinum) in argentea capsula conditas, in suis thesauris jussit asservari. Ut vix in lucem editi corporis beatæ Reginæ, sacræ tamquam reliquiæ, in pretiosis loculamentis recondiderentur. Avus vero Jacobus præsensisse quodammodo futuram sanctimoniam credi potest, cum eam ex Aragoniæ Regum stirpe feminarum præstantissimam pronunciavit. Simile de illa judicium fuit Petri parentis; simile viri Dionysii; simile Alfonsi filii: omnium demum, qui eam noverant, de ejus eximia sanctitate una fuit sententia. Ad ejus non modo humanam opem, sed etiam efficaces ad Deum preces multi mortales cujusvis generis confugiebant, velut ad sacram anchoram, aut salutis aram. Ejusdem extinctæ patrocini bono suo imploravere complures, ut in subjectis miraculis videre erit. Toto denique Lusitaniæ regno, tot continentibus annis, de ipsius sanctimonia, ac meritis apud Deum, publica fama percrebuit; ac Deus ipse veracem eam esse, tot collatis per miraculum beneficiis, ejus patrocini impetratis, palam omnibus comprobavit.

RELATIONIS PARS TERTIA. DE MIRACULIS, IN VITA ET POST MORTEM.

[34] Ut illustrior esset Elisabethæ Reginæ sanctitas, voluit etiam Deus illi miraculorum addere lucem, quæ tantopere mortalium oculos animosque perstringit. Aliquod igitur beatæ hujus Reginæ meritis patrata miracula; tum e certissimis historiis deprompta, tum juratis testibus confirmata, proferentur in medium. Ac primo, quæ dum illa viveret, edita sunt.

MIRACULUM I.

[35] Cum aliquando Regina Elisabetha proficisceretur Conimbrica in urbem Portum, per vicum quemdam iter

habebat, nomine Arrisanam. [Puella a nativitate cæca, solo tactu manus beatæ Elisabethæ, visum consequitur.] Hic illi processit obviam rusticana quædam femina, filiulam secum ducens ab ortu cæcam. Oravit Reginam supplex, ut oculos puellæ manibus tantum attingeret. Illa obsecratione simul ac miseratione permota, morem gessit matris voluntati. Post paucos dies obviam Elisabethæ venit eadem femina, exultans & gestiens cum filiola; quæ statim atque tacta fuerat, usum oculorum acceperat. Agunt immortales Reginæ gratias. Hæc vero, ut erat ab ambitione laudis & gloriæ alienissima; vetuit illas quicquam hac de re dicere, quoad ipsa viveret: idque ut ab iis facilius impetraret, vestem utrique dono dari jussit; & miraculum beneficio cumulavit. Quod totum, & verissimis mandatum est historiis, & multorum testium juramento confirmatum.

MIRAC. II.

[36] In æde sacrarum Virginum, cui nomen est Chelis, prope Olyssiponem, [Tuber in stomacho Margaritæ cujusdam, a beata Regina crucis signo statim sanatur.] nobilis erat & religiosa mulier, Margarita Freila. Hæc Reginam, in urbe commorantem, invisere decrevit. A qua statim atque pallida visa fuit macieque confecta, causam rogatur tantæ tenuitatis. Tuber, inquit, quod natum est super stomachum, hujus vultus, & magni mihi cruciatus est causa. Signum illa crucis imposuit ægræ parti; quo facto, resedit omnis tumor, discessit dolor. Margarita, gravi morbo liberata, non potuit se præ gaudio continere, quin illico palam omnibus faceret, se ope Reginæ sanitatem fuisse consecutam. Id cum ad aures Elisabethæ pervenisset, non parum illi molestiæ attulit; accersit ad se mulierem, graviter accusat, imperat silentium ea super re in posterum. Neque enim id beneficii suæ deberi virtuti dicebat, sed omnium bonorum auctori Deo, cujus erat laus omnis & gloria.

MIRAC. III.

[38] Solita erat beata Elisabetha, feria sexta sanctioris hebdomadæ Elephantiacos aliquot, seu leprosos ad se accersere, [Leprosus graviter in capite vulneratus, beatæ Reginæ manibus ovi albo imposito, confestim a vulnere liberatur.] iisque pedes abluere, & stipem elargiri, cum pari laude demissionis animi & caritatis. Id aliquando cum perfecisset in oppido quodam, Scalabi appellato (vulgo Sanctarem) ex iis unus, quibus id præstiterat officium, reliquis tardior, ob morbi vim vehementiorem, substitit parumper in Regia. Quod ubi janitor quidam animadvertit, ferox & asper, ac rei gestæ ignarus, acerrimis eum conviciis est insectatus. Cumque ille reclamaret, fustem arripiens, hominis, qui se præ morbo commovere vix poterat, caput summa vi percussit & graviter vulneravit. Concidit infelix in terram, ea plaga accepta, & calamitatem suam cœpit ejulans lamentari. Adfuit & vocibus, & miserabili spectaculo, Urraca Vaschia, Reginæ ob studium pietatis familiarissima; ad Elisabetham excurrit; quid factum fuerit, narrat. Illa hominis miseri atque innocentis calamitate commota, in suum cubiculum eum imperat deportari; deinde album ovi exceptum stupa, vulneri suis ipsa manibus imponit, additaque pecunia in reliquos sumptus, hominem dimittit. Postridie, quam hæc gesta fuerant, scitatum mittit, qui se æger habeat. Optime, responsum fuit; & cicatricem post factam a Regina medicinam, statim fuisse obductam. Ita regii famuli injuriam beatæ Reginæ sanctitas & clementia compensavit.

MIRAC. IV.

[38] Feria quinta Sanctioris hebdomadæ lavabat beata Elisabetha de more duodecim mulierum, Elephantiasi seu Lepra laborantium, pedes. [Insanabilis cancer, signo crucis, osculoque beatæ Reginæ sanatur.] Quibus etiam

pecuniam & vestes elargiri solebat; & ad mensam splendide acceptis ministrare. Earum una pedem alterum cancro affectum tam male habebat, ut parum abesset, quin duo digiti deciderent. Altero igitur abluto pede; ut alterum in pelvim immitteret, Regina postulavit. Illa conscia latentis mali & horribilis deformitatis, pedem illum, aut Reginæ manibus attingi, aut oculis videri, indignissimum judicabat; ideoque magis eum oculebat. Regina Urracæ Vaschiæ, quæ huic facto aderat, jubet, ut ipsa mittat in pelvim, recusantis pedem. Id ubi factum est, tam gravis illico afflatus est odor, ac pestilens; ut omnes regiæ ministræ, cum eum præ fastidio ferre non possent, se proripuerint foras. Elisabetha sola mansit, quæ christiana magnanimitate, & caritate memorabili ardens; ulcus non modo non horruit, sed suis manibus tractavit, ac medicinam aliquam adhibere contendit. Accedit ergo plena misericordiæ, plena humanitatis; procumbit ante miseram feminam fovet calida pedem, & ulcus leniter ac molliter expurgat. Denique ad operis sanctissimi & gloriosissimi summam; ipsum cancrum, cujus vel odor erat intolerabilis, osculatur & salutare signum crucis imponit: mirum dictu; sed tanta virtute dignissimum: nulla interposita mora, & signo crucis & osculo, & simul ingenti sanctæ Reginæ merito, insanabile ulcus factum est sanum.

MIRAC. V.

[39] Jacebat aliquando beata Regina, gravi stomachi morbo laborans, in oppido Alenquerio. [Aqua in vinum a beata Elisabetha conversa.] Præscripserunt ei medici, quod requirere videbant morbi genus; ut vino modico uteretur. Illa, quæ abstinere solita erat vino, cum id curationi valetudinis necessarium esse non duceret, negavit se esse facturam. Aquam igitur afferri sibi jussit; quæ bis allata, bis in vinum est commutata: ut quodammodo videretur eo miraculo Deus & religioso

beatæ Feminæ proposito, & medentium præscripto satisfacere velle.

MIRAC VI.

[40] Ut erat in egenos maxime liberalis beata Elisabetha, in sinu sæpe ferebat, [Opes, pauperibus distribuendæ, a beata Regina, media hyeme vertuntur in rosas.] quæ iis benignissime dispensaret. Accidit, ut eam, hæc in sinu clam gerentem, vir ipsius Rex Dionysius observaret, qui forte factus ei fuerat obviam. Et facile, quid rei esset, suspicatus; non ut illam a benefaciendo revocaret, sed ut Regis ac viri potestate uteretur; interrogavit, quid in sinu portaret. Elisabetha, vel operis boni gloriam dissimulans, vel timens, ne id facere prohiberetur in posterum; Rosas, respondit; ac Dionysii jussu, explicato sinu, opes illæ distribuendæ pauperibus in recentes rosas commutatæ cernuntur, manifesto miraculo; cum ea pars anni ageretur, quæ gignendis intempestiva rosis est, hiems videlicet. Ex præclaro facinore duxit originem illa pictorum consuetudo, sanctæ hujus Reginæ imaginem cum rosis in sinu passim effingendi.

POST MORTEM MIRAC. I.

[41] Summus ille bonorum omnium Auctor, qui mirabilis est in Sanctis suis beatam, Elisabetham non solum in humanis agentem, divinis illustravit virtutibus & miraculis; [Incorruptio corporis, & suavis odor,] sed etiam ad æternæ felicitatis regna translata, admirabilibus rerum eventibus nobilitavit in terris. Ac primo quidem ejus corpus a corruptione liberum integrumque monstravit in hunc modum. Testamento mandaverat beata Regina filio Alfonso Regi, ut ipsius corpus ex oppido Stremotio, ubi diem clausura erat extremum, Conimbricam, in ædem monialium S. Claræ deferri curaret. Cum vero Conimbrica centum & viginti octo millibus passuum a Stremotio

distaret; & Julii mensis vehementissimi calores, quo illa tempore obierat, obstarent, quin corpus tam longe deportaretur, sine maximo putrescentis cadaveris fœtore, atque intoleranda tam deferentium, quam funus comitantium molestia; plerique censebant opportunius fore, si vel in templo S. Francisci in eodem oppido, vel in œde maxima Eborensi, non ita longe dissita, corpus tumularetur; exesa deinde ossa Conimbricam transferrentur. Abnuit nihilominus Alfonsus a suprema matris voluntate recedere, ac funus jussit Conimbricam deduci. Tempus æstivum; circumfusi frequentia populi, eam prosequentis extinctam, a qua vivente tot fuerat beneficiis ornatus; succussio loculi, in quo fuerat inclusum cadaver, justum timorem incusserant omnibus, ne paulo post, ob intolerandum fœtorem, cœptum opus deserere cogerentur. Non tamen ejus corpus deseruit divina Providentia, cujus animam aspectu suo beabat in cælo. Septem dierum spatio delatum cadaver, non modo gravis odoris nihil afflavit; [non tantum dies aliquot post obitum,] sed potius tam suaves circumfusæ multitudini inspiravit odores, ut in eo loculo pro putrescente cadavere omnia aromatum genera conclusa viderentur. Quod ubi palam omnes cognovere, ac propius accedentes experimento comprobarunt; in effusam lætitiã, in Dei laudem, in venerationem sacri corporis sese totos converterunt.

[42] Verum adhuc majus exhibere Deus voluit ad beatæ Reginæ gloriam, [sed & annos 276] in ejus corporis integritate miraculum. Anno enim Domini MDCXII, VII Kalendas Maii *, Illustrissimi, & Reverendissimi DD. Episcopi Conimbricensis, & Leriensis, & Doctor Franciscus Vazius Pintus, hujus causæ Judices Commissarii, cum aliis præcipuis Medicis, Sacræ Theologiæ Magistris, ac Religiosis viris, præsentibus adfuerunt: dum beatæ Reginæ sepulcrum patefactum, & sacrum ejusdem corpus recognitum fuit. Inventum igitur hoc est integrum atque incorruptum, candido colore; cum carne, cum rutilis

capillis, naso, auribus, oculis minime tabefactis, reliquis etiam partibus instructum ac membris; quæ tacta non frangebantur aut liquescebant; manabat e corpore suavis admodum ac jucundus odor, neque solum id expers corruptionis extiterat, sed vestes etiam circumjectæ, ac plura lintea superimposita, solida, atque tenacia permanebant. Nemo denique spectantium, & rem adeo novam atque inexpectatam admirantium, non agnovit, atque extulit divinæ potentiæ vim; quæ vitæ animæque integritatem, qua beata hæc Regina pollebat, ipsius post mortem, corporis integritate censuit remunerandam.

MIRAC. II.

[43] In monasterio S. Claræ pars quædam ædium fabricabatur, & jam tecti ligna imponebantur. Ibi Dominicus Machadus, [Faber, e tecto cadens, beatæ Reginæ ope implorata, sursum attollitur.] faber lignarius, operam dabat lignis, clavorum adminiculo configendis. Ecce autem inopinato aliquot ex iis lignis refixa dilabebantur in terram; secumque fabrum illum præcipitem trahebant. Tum ille beatæ Elisabethæ salutare subsidium in tanto vitæ discrimine imploravit: nec surdis auditus est auribus. Extemplo, per summum miraculum, ipse una cum lignis, occulta quadam vi, sursum relatus, & in eundem locum, e quo ceciderat, restitutus fuit. Ligna etiam suis reddita sedibus & coaptata. Dominicus a præsentis periculo liber & incolumis, cum admiratione & stupore spectantium; tantum in se beatæ Reginæ beneficium ex animo testatus est.

MIRAC. III.

[44] Anna Azpilcueta, una erat e sacris Virginibus, quæ prope Conimbricam in vico, cui Cellis nomen est, [Monialis, cruribus male affectis, ab incessu impedita,

beatæ Elisabethæ imploratione sanatur.] B. Mariæ sacrum cœnobium colunt. Hæc diu capta cruribus & resolutis nervis, ita tenebatur; ut per se incedere nullo modo posset. Nullum a Medicis non tentatum remedium fuit; sed sanitatis restituendæ gloria beatæ Reginæ relinquebatur. Proximus erat solennis beatæ Elisabethæ dies: nocte vero, quæ antecedebat, Annæ Magistra, plura exponens beneficia, illius Reginæ imploratione suscepta; hortatur eam, ut ab ipsa præsens auxilium petat: morem gessit illa diligenter; & in arctissimum somnum soluta est. Ecce autem per quietem audire sibi videtur imperantem, ut surgat; valetudine jam Elisabethæ ope, restituta. Excitata virgo, artubus contremuit omnibus: exilit e lecto sola: vestes induit: in odeum (vulgo chorum) venit: ubi ceteræ matutinas preces canebant. Mirantur omnes, lætantur, præ animi pietate lacrymantur. Rem hanc totam publicis litteris commendavit Martinus Azpilcueta, is, qui Pontificio juri lumen suis libris attulit immortale.

MIRAC. IV.

[45] In oppido Sarnacensi Conimbricensis Diœceseos, Maria Antonia, Michaëlis Aloysii uxor, quinquagenaria erat; [Quinquagenaria mulier lac abunde consequitur ope beatæ Reginæ ad pauperem nepotem alendum.] etiam a duobus ac viginti annis infœcunda: quin etiam ex morbo quodam, ab antiquo tempore in sinistro ubere, lacte carebat. Hæc nepotem ex paupere filia parvulum susceperat educandum: Equitis etiam cujusdam Ulyssiponensis filium lactabat. Quamobrem nepotem cibis dulcibus enutrire tentavit, quæ tamen ille respuebat. Venit igitur una cum eo Conimbricam, ad S. Claræ cœnobium; infelicem pueri conditionem amicis monialibus enarravit; retulit ab iis consilium: ut rem totam beatæ Reginæ commendaret; ac summo mane jejuna reverteretur illuc, vinum haustura cum croco: quam beata Elisabetha potionem ad ejus mali remedium

præscripserat. Sequitur illa consilium: vino illo sumpto, ad beatæ Reginae sepulcrum accedit supplex; summis eam precibus obsecrat, ut sibi lac a Deo impetret, ad misellum nepotem enutriendum. Audita est obsecratio; lac statim sensit uberibus largiter affusum, ut abunde potuerit in posterum, derivatum cœlitus alimentum, instillare nepotulo.

MIRAC. V.

[46] Agnes Dalmeida, Joannis de Guerres, medici, uxor, septima post filii partum hebdomade, [Angina morbisque aliis Agnes Dalmeida liberata, lactis copiam impetrat a beata Regina.] in anginæ morbum incidit, quo vehementer cruciabatur; neque sumere cibum, neque proferre verbum poterat; lac etiam defecerat ad natum puerum nutriendum. Vir, ut artis medicæ peritus, plurima illi adhibuit medicamenta; sed frustra: quin adeo morbus in dies invalescebat, ut jam vir de salute conjugis desperaret. Ergo Berensem in agrum se contulit, ad accersendam filio nutricem. Ibi dum nocte curis anxius, commoratur; subit animum sanctitas beatæ Elisabethæ. Illi suam enixe religioseque commendat uxorem. Flagitat ab illa præsens in tanto vitæ discrimine subsidium. Summo mane reversus domum, uxorem reperit sanam, atque ab omni ægitudine liberam; quærit ex illa, qua hora se melius habere cognovisset; exacte eam uxor indicavit: tum is probe perspexit, eodem temporis articulo, quo ipse procul domo pro uxore beatam Reginam oraverat, ab eadem se clementer auditum, impetrasse, quod postulabat. Singulares uterque gratias Deo agit ac beatæ Elisabethæ. Idem postea vir templum adivit, ubi beatæ Reginae corpus asservabatur: interfuit sacro, iterumque suppliciter ab eadem poposcit uxori lac, quo natus infans nutrirî posset: domum reversus, hoc etiam se beneficio cumulatum agnovit, & veneratus est adeo liberalem beatæ Reginae beneficentiam.

MIRAC. VI.

[47] In S. Claræ cœnobio Constantia Ania, civis Eborensis, jam diu insanabili atque horribili morbo premebatur. Pestiferum quoddam ulcus ei labia gingivasque cum maximo cruciatu corrodebat; [Inveteratus morbus sanatur osculo feretri, ubi jacebat beatæ Elisabethæ corpus.] sensimque serpebat latius; & parum aberat, quin illa dentes omnes amitteret. Præ doloris impetu vociferabatur assidue, ceterarumque tranquillitatem & religiosam quietem interturbabat. Nullum medicorum artificium sufficiens erat ad eam pestem depellendam. Cum igitur beatæ Reginæ corpus ab oppido Stremotio, Conimbricam in S. Claræ cœnobium allatum esset; statim Constantia, magna cum pietate ac fide accessit ad feretrum, ubi corpus adhuc insepultum jacebat: itaque loculum osculata est, ut oris partem, lue confectam, ei applicaret: recedit deinde cum ceteris. Ubi vero sacrum beatæ Elisabethæ corpus ad sepulcrum deferri cœpit; Constantia se cruciatu liberatam cognoscens, advocat socias; iis os inspiciendum præbet: nulla pestis illius indicia apparebant. Quo miraculo omnes obstupefactæ, conclamant una voce, magnam esse Reginæ sanctitatem; quam Deus tam insigni miraculo testatam omnibus atque exploratam esse voluerit.

EPILOGUS.

De Actis causæ & legitima illorum confectione.

Iam vero quod attinet ad res in causa gestas, & Acta Canonizationis, ad S. Vestram ita refero. Cum fama sanctitatis beatæ Reginæ, frequentia miraculorum, quæ ipsius apud Deum meritis edebantur, magis increbresceret: atque in ejus venerationem Christianorum hominum animi vehementius incitarentur, anno Christi MDXVI, Lusitaniæ Rex Emmanuel, per Michaëlem Sylvium, Legatum suum, a Leone X, Pont. Max., S. Vestræ

prædecessore, & postulavit & impetravit; ut beata Elisabetha, tota Conimbricensi diœcesi solemni ritu cum Beatæ titulo coleretur, ejusque imagines publice ac privatim dedicare liceret. Anno vero MDLI, Lucius Andreas Resendus, vir apprime doctus, in ejus honorem sacras laudes, quas vulgo vocant officium, composuit. Nec multo post Rex itidem Lusitanicæ Joannes, Emmanuelis filius, a Pont. Max. obtinuit, ut in Regia eadem sibi venerari liceret. Ac Pompeius Zambeccarius, Summi Pontificis Legatus, anno MDLIII; omnibus orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ad beatæ Reginæ sepulcrum recitantibus ipsius festo die, cum octo insequentibus, & aliorum quorundam Sanctorum, concessit omnes pœnarum remissiones (Indulgentias appellant) quas consequuntur, qui iisdem diebus Romæ templa, vel intra, vel extra mœnia, religiose invisunt.

Post aliquot annos Rex etiam Lusitanicæ Sebastianus (qui ad regni tranquillitatem ac salutem beatæ Elisabethæ meritis a Deo dicitur impetratus) egit apud Paulum IV, Pontificem Maximum, ut superiorum Pontificum diplomata de beata Regina amplificaret; idque consecutus est, ac præterea potestatem, ejus imagines exponendi, annua sacra faciendi, eique preces fundendi per universam Lusitanorum Regum ditionem: ejusque festus dies dictus est is, quo migravit in cælum, nempe IV Nonas Julii.

Anno deinde MDCXI, Catholicus Rex Philippus, hoc nomine tertius, & Regina Margarita Austriaca, postularunt a Paulo V, Pontifice Maximo, S. Vestræ prædecessore, ut canonizare, & in Sanctorum catalogum adscribere dignaretur beatam Elisabetham. Cum igitur tantorum Principum petitioni Sanctissimus Pater plurimum deferendum censisset, cognitionem ejus causæ demandavit tribus sacræ Rotæ Auditoribus, Francisco Penicæ, Decano, Francisco Sacrato, & Alfonso Manzanedo. Hi vero concesserunt suam remissoriam, & compulsoriam

in forma directa, Episcopo Conimbricensi, Leriensi; & Doctori Francisco Vazio Pinto, qui Catholicæ Majestati erat a consiliis; ut adhiberent necessarias probationes testibus ac scriptis; aliaque authentica documenta statuerent super vita, sanctitate ac miraculis beatæ Reginæ. Hi omnes cum causæ Procuratoribus, examinatis multis testibus, extractis juribus, & juridicis processibus formatis; Romam eos ad jam dictos Rotæ Auditores transmiserunt. Dum vero in hujusmodi processibus diligenter expendendis tempus atque operam illi impenderent; accidit, ut Paulus V prius; deinde Gregorius XV, Pontifices Maximi, S. Vestræ prædecessores, ex hac vita migrarent; quapropter inchoatum opus absolvi non potuit.

Postquam vero S. V., postulantibus meritis, ad istud Pontificatus fastigium evecta est; instare iterum cœpit Catholicus Rex Philippus, per suum totius Lusitanici Regni Agentem, Michaëlem Suarium Pereiram, ut religiosum hoc munus perduceretur ad exitum. Placuit S. V. tam æquis tanti Principis postulatis assentiri. Quapropter a Rotæ Auditoribus, Joanne Baptista Coccino, Decano, Alfonso Manzanedo; & Rotæ Locumtenente, Jacobo de Cavaleriis, relatum fuit de statu causæ; clareque significatum, posse eam ad nostram Sacrorum Rituum Congregationem transmitti; ut cum ipsa vidisset ac perpendisset ea, quæ in re videnda & perpendenda judicaret; super petita Canonizatione suam sententiam diceret.

Nos vero, Beatissime Pater, accepta relatione vitæ ac miraculorum beatæ Reginæ, & S. Vestræ voluntate percepta; habitis super ea pluribus sessionibus, in quibus dictorum Auditorum conclusiones accurate ac diligenter examinavimus; unanimi consensu censuimus, omnes supradictos processus fuisse & esse validos, legitimos, & legales, & eorum probationes super sanctitate ac

miraculis beatæ Elisabethæ, fuisse legitimas & sufficientes.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ ex legitimis Actis hujus causæ dicenda fuerunt de vita & moribus beatæ Reginæ Elisabethæ, deque miraculis, illius beneficio patratis. Quibus copiosius in multis Congregationibus perpensis atque discussis, Cardinales Congregationis sacrorum Rituum in eam sententiam unanimes venerunt: Posse Sanctitatem Vestram (si ei placuerit) ad ulteriora procedere; & Canonizationem beatæ Reginæ Elisabethæ juxta sacros Romanæ Ecclesiæ ritus perficere, & solenniter celebrare.